



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catena Temporum

Andrian, Carl

Herbipoli, 1698

Series XII. Schismata, contentiones, abusus in Ecclesia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65485)

Schismata, Contentiones, & abusus, 223

Neapoli 1634. è lethali pertracti capitis vulnere Marcellus Mastrilius è Societ. Jesu ope S. Francisci Xaverij repente convaluit. *Res fuit urbi & Italia notissima.*

Ictus qui è sepulchro S. Paschalis audiuntur, totà Hispaniã celebrantur.

Imago B. M. Virginis in pago Boörtz superioris Hungariæ, die 4. Novembris 1696, & diversis vicibus, inspectantibus plurimis, lacrymas fudit.

Eadem imago ex mandato Augustissimi Imperat: Leopoldi Viennam translata an: 1697. die 7. Julij solennissimã pompã publicæ venerationi exposita est.

Scribunt Qualterius, Breidenbachius & alij.



SERIES DUODECIMA.

Schismata, Contentiones, Abusus ab anno Christi 1. usque ad 1698.

☉ Saculum 1. ab an. 1. ad 100. ☉

Omnimuratio Græcorum adversus Hebræos, cui tollendæ creati sunt septem Diaconi quorum apex S. Stephanus.

Petrus, cum secum Paulus in concilio Apostolorum disceptavit, non despexit Pau-

224 *Schismata, Contentiones & abusus.*

Paulum, quod Ecclesiae prius persecutor
fisset, sed consilium veritatis admisit.
*Verba sunt haec S. Cypriani Epist: 71. ad
Quintum.*

S. Petrus cum Simone Mago, quem
Roma veluti Numen adorabat, contem-
dit, & volantem ex aëre precibus præci-
pitem agit.

☉ *Saecul. II. à 100. ad 200.* ☉

Cum Victor I. in Concilio Romano 198.
ad controversias de Paschale inter Chri-
stianos exortas tollendas, decrevisset, ut
celebraretur Dominico die post lunam de-
cimam quartam, Asiaticos, decreto parere
detrectantes, Ecclesiasticis diris devovit.
Ex hac agendi ratione, quæ severior non-
nullis est visa, schisma conflatum est, quod
Ecclesiam usque ad concilium Nicænum
I. exagitavit.

☉ *Saecul. III. à 200. ad 300.* ☉

In Romano Concilio decretorio Cornelij
iudicio lapsorum causæ finis impositus est,
datæque certæ leges de ijs ad communio-
nem recipiendis 253. vel 254.

Novatianus à Novato hæresiarcha im-
pulsus Cornelio P. resistit 254.

Agripino Carthaginensi Episc: per erro-
rem hæreticorū baptisma damnante, gra-
vis in Ecclesia controversia nascitur, de
instau-

Schismata, Contentiones & abusus. 225
instaurando hæreticorum baptisate, quæ
plura deinde sæcula tenuit, quamvis non
iterandum Stephanus Pontifex Romanus
decrevisset 256.

Alterum schisma couflat Felicissimus
eodem tempore.

☉ *Sæcul. IV. à 300. ad 400.* ☉

Felix Antipapa contra Liberium 312.

Scindunt Orientalem Ecclesiam Eustatia-
ni & Meletiani Antiochiæ 360.

Occidentalem Lucifer Calaritanus 362.

Ursicinus contra Damasum insurgit 366.

Donatistæ schismate scinduntur à Cæ-
ciliano 396.

Intolerandi abusus in Agapis Christia-
norum Patres ad eas vetandas impellunt.

Qui ex Christianis edicto Diocletiani, de
tradendis sacris libris, paruere, dicti sunt
Traditores.

☉ *Sæculum V. à 400. ad 500.* ☉

Eulalius schisma exorsus, gradu deiici-
tur 416.

Petrus Fullo Episc: Antioch: addens
*Hymno Sanctus &c. Qui propter nos Cruci-
fixus est,* magnas in Ecclesia turbas excitat.

Semina Schismatis Constantinopolit.
Præsulum Primatum affectantium iacta ab
Acacio 471.

Quamvis Henoticon Zenonis nullam
difer-

226 *Schismata, Contentiones & abusu,*
disertè hæresim contineret, meritò tamen
à pijs quibusque rejectum est.

Cœlius Laurentius contra Symmachum
P. 499.

☉☉ *Sæcul. VI. à 500. ad 600.* ☉☉

Dioscoras contra Bonifacium II. Electus:
brevi hoc schisma extinctum 530.

Felix & Vigilius aliquamdiu Schismatici
tandem legitimi PP.

Theodorus Cæsareæ in Cappadocia
Epis: Justiniano trium capitulorum damna-
tionem persuadet, unde seges discordia-
rum in Ecclesia per duo fere sæcula.

Acæmetarum & Scytharum Monacho-
rum contentiones prioribus damnatis à
Joanne II. Pontifice.

Sælonius Ebredunensis & Sagittarius
Vapincensis in Gallia, inter Episcopos pri-
mi castra militū more secuti sunt: *Baronius,*

☉☉ *Sæc. VII. à 600. ad 700.* ☉☉

Constant II. Imper: Paulo Patr: C.
suadente typum evulgat, sed improbat
à Theodoro R. P. 648. Auctior hinc Græ-
corum à Latinis abalienatio, donec in hæ-
resim evadat & Græciam perdat.

Ravennatensis Ecclesia ex archiepiscopi potenti
freta in Romanam assurgit 669, sed opera
Theodori Archiepiscopi: ad ejusdem auctori-
tem

Schismata, Contentiones & abusus. 227
tem revocatur sub Agathone.

Schisma Romæ ex divisione affectatorum
Theodori atque Paschalis 687.

☉ ☉ *Sacul. VIII. à 700. ad 800.* ☉ ☉

Schisma ob Theophylactum contra Pau-
lum electum 757.

Constantinus necdum sacris initiatus
Paulo primo moriente eligitur, fratre Du-
ce Nepesino Romam cum exercitu in-
gresso 767.

Vitiza Hispaniæ Rex sibi subiectos Epis-
copos à Romani Episcopi auctoritate
se movet.

Leo III. à Romanis injuriosè tractatur
sed in Carolo Magno Præsidium invenit.

☉ ☉ *Saculum IX. à 800. ad 900.* ☉ ☉

Synodus Parisiensis execratur audaciam
mulierum, quæ in quibusdam Galliæ Pro-
vinciis ausæ fuerant Sacramenta populis
ministrare.

Schisma adversus Eugenium II. 824 Con-
tra Benedictum III. 855. Contra Formo-
sum 891.

Joannes VIII. nimis indulgens Apосто-
licæ severitatis vim primus intregit, unde
plurima in Ecclesiam mala fluxère, & nota
de Papissa fabula. *Baron.*

Schisma inter Sergium III. & Joannem
IX. 897.

Boni-

228 *Schismata, Contentiones & abusus.*
Bonifacius Antipapa pulsus per Stephanum VII. 897.

☉ *Saecul. X à 900. ad 1000.* ☉

Stephanus VII. Papa pessimo exemplo Formosi, veluti vitio creatus esset, acta rescindit

Infelicissimum Romanæ Sedi sæculum quo mulierum & virorum Principum ludibrio visa est exponi.

Manassi Arelatensi primùm plures committuntur Episcopatus 936.

Hugo nondum quinquennis eligitur Remensis Episcopus 947.

Leo VII. Contra Joannem XII. 956. Et contra Benedictum V. 964 Bonifacius VII Et Benedictus VII Contra Joannem XIV. 984. Joannes XVII. Contra Gregorium V 996.

☉ *Saecul. XI. à 1000. ad 1100.* ☉

Gregorius contra Benedictum VIII 1024. Sylvester & Joannes contra Benedictum IX. 1033.

Henricus IV. Cæsar & Episcoporum & Abbatum instituendorum jura usurpat, hinc longa malorum series.

Michaël Cerularius Patri: C. Azymorum usum latinis exprobrans, novum inter eos & Græcos odiorum semen jacit 1053.

Schisma

Schismata, Contentiones, abusus 229

Schisma contra Alexandrum II. 1060.
contra Gregorium VII. 1073. Contra Pascha-
lem II. 1099.

Puer jussu Regis eligitur Aurelianensis
F. 1097. die SS. Inno. entibus facta, hinc
illud Leoninum.

*Eligimus puerum, puerorum festa colentes,
Non Domini dictum sed Regis jussa sequentes.*

☉ *Sacul. XII. à 1100. ad 1200.* ☉

Henricus V. per vim jus deturandi Epif-
copatus, aliaque munera à Paschali II. ex-
torquet, qui mox omnia per vim expressa
irrita declaravit 1105.

Burdinus contra Gelasium II. 1118. Petrus
Leo, & Octavianus contra Innocentium II.
1130. & deinde contra Alexandrum III. 1159.

Guido Cremensis & Joannes Struma
contra Alexandrum III. 1164.

☉ *Sac: XIII. à 1200. ad 1300.* ☉

Fridericus II. Ænobarbi nepos dotis,
& edictis Saracenis in Italiam vocatis,
bellis iniquissimis sacros Antistites, Roma-
nos Pontifices, & Ecclesiam per annos 30.
turbat, & vexat, Imperatoris nomine bis
per Romanum Pontificem exutus.

Inter Dominicanos & Franciscanos
Theologos magnis utrimque conatibus
celeberrima de conceptu Deiparæ con-
troversia agitari cœpit.

230 *Schismata, Contentiones, abusus.*

☉ Sac. XIV. à 1300. ad 1400. ☉

Diffidium gravissimum inter Bonifacium VIII. Et Philippum Pulchrum Franciæ Regem, in quo Pontifex post carceris deformationem ex mærore obiit.

Nicolaus V. Antipapa contra Joannem XXI. seu XXII. 1316. Robertus contra Urbanum VI. 1378.

Petrus de Luna contra Bonifacium IX, ejusque successores ab anno 1394. usque ad 1424.

Inter Romanos Pontifices post D. Petrum nullus Pontificatus annum 25. attingit, hic unus pseudo-Pontifex trigessimum excessit.

☉ Sacul. XV. à 1400. ad 1500. ☉

Cum tres essent dubij Pontifices, insurrexit opinio docens Romanum Pontificem etiam certū Oecumenico subesse Concilio.

Hanc sententiam inter ceteros, qua tantum considerantur, locat Petrus de Marca Archiepiscopus Parisi: in dissertat: de Infallibili Papa

Ægidius seu Clemens VII. contra Martinum V. 1424.

Pragmatica sanctio in conventu Galliarum Episcoporum Bituricis 1438.

Amedeus VIII. Dux Sabaudia: sive Felix V. contra Eugenium IV. 1439. Sed agnito electionis vitio Sponte abdicavit.

Sac.

Schismata, Contentiones, abusus. 231

☉☉ *Sac. XVI. à 1500 ad 1600.* ☉☉

Henricus VIII. Angliæ Rex defensor fidei appellatus, post propugnata Catholicam Religionem defecit ab Ecclesia, ob negatam à Romano Pontifice constantis matrimonij solutionem, 1534. Hinc Anglicanum Schisma.

In comitijs Augustanis 1546. *Interim* promulgatur, in quo Religionis forma usque ad Oecumenici concilij definitionem præscribitur magno Christianæ pietatis detrimento.

Colloquium Pissiacum in Gallia 1561. quod civilia bella, & ingentia mala consecuta sunt. *Gualter.*

☉☉ *Sac. XVII. à 1600. ad 1698.* ☉☉

Solennes inter PP. Dominicanos & Societatis Jesu de auxiliis divinæ gratiæ contentiones temperantur per Paulum V. nihil definientem, & interim alienam sententiam notâ inurendi facultate sublata.

Ob amplificata, ut appellant regalia jura, gravis inter Romanum Pontificem & Gallos controversia.

Declaratio quinque Propositionum in Gallicano aliquot Episcoporum conventu 1682. magnam Romano Pontifici causam præbet offensionis.

Alexander VIII. 30. Januarij 1691. morti proximus conventus illius acta rescindit.